

S. C. Rq. M.

2

V. M vir eximia eruditione Cosmus
Damianus Hortolanus, superioris
bus annis, commentarios quosdam
in Canticum Cäticorum Solomo-
nis eruditos illos quidē, luculentos,
ac perpolitos lucubrasset: edere illos
in publicū ac typis mandare quam vehementissi-
mè satagebat: verū dū è Lugduno Barcinonem
Græcos ac hebræos characteres adferri dat operam:
euenit, vt vi morbi cuiusdā correptus sedes ad cœ-
lestes euolaret. Quamobrem extincto illo eximio
viro, euulgandorum studium eorum commenta-
riorum mirandum in modum refrixit. Etenim quē
eiusmodi rei cura teneret, extabat nusquam quis-
piā. Quare venire multorum in manus illos, à qui-
bus negligenter oportuit. Cum autem postremū
apud foeminam fratris ipsius auctoris vxorem eos
esse comperimus, non potuimus nos, qui Hortola-
ni cognati eramus, non magnopere propter eam
causam condolere. Quid enim spei poterat nobis
esse, dum apud foeminam illam sorderent, fore vt
eius cura ac industria monumenta viri tam docti
prodirent vñquam in luce in manibus studio-
sorum virorum versarētur? Egi propterea cum re-
ligioso quodam viro familie Franciscanorum, ut
copia commentarios eos legendi nobis à foemina
illa fieret. Id autem simul atq; fui consequutus vna

* 2 cum